A.

Pœtarum

Anonymi Genealogia Serenissimæ Domus Austriacæ Petuc

2803



FUERSTLICH AUERSPERGSCHE FIDEICOMMISSBIBLIOTHEK ZU LAYBACH

VII. O. 2.

GENEALOGIA
SERENISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ

A

PHILIPPO PRIMO
REGE HISPANIARUM,

ALTERO

AUSTRIACÆ MAGNITUDINIS FUNDATORE

AD

AUGUSTISSIMOS *CÆSARES* LEOPOLDUM,

ET

MARGARETHAM

DEDUCTA,

ET

EISDEM AUGUSTISSIMIS,

DUM

FELICI, ET TOTO ORBE DESIDERATO HYMENÆO JUNGERENTUR,

SUBMISSISSIME DEDICATA

AB

ARCHIDUCALI COLLEGIO GRÆCENSI SOCIETATIS JESU.

ANNO M. DC. LXVI.

GRÆCII STYRIÆ, Typis FERDINANDI WIDMANSTADII.



Albinus Patho delin. P. Kilian ſ.



SACRATISSIME CÆSAR.

DUM Germanici Orbis ſtudia calentiſſimis votis Cæsareo Hymenæo aggratulantur, & fortunatam ex hoc connubio ad populorum ſalutem, ad Romani Imperij ſolatium, ad perennem Auſtriaci nominis gloriam Cæſarum augurantur ſucceſſionem: non debuit, tametſi minima, Tibi tamen (quod gratiæ, & humanitatis Tuæ eſt, non meriti noſtri) ſingulari ſemper affectu adamata JESU Societas in commũni hac applaudentis Europæ lætitia, inter Græcenſis Collegij parietes conticere. Sileant enimverò illi, quos victorioſo ſuperioribus annis Marte procul ab Auſtriæ limitibus in Aſiæ fines ejeciſti: obmuteſcant illi, quibus Auſtriacorum Principum felicitas eſt inviſa, & horum victoriæ, ſunt fomenta æmulationis; horum fortuna, calamitas; Splendor, tenebræ; Majeſtas, opprobrium; quibus Sacri Imperij pomum evaſit diſcordiarum malum. Sileant, inquam, illi, qui nunquàm bene ſentiunt, niſi malè ſit Imperio, malè Auſtriacis. Nos Sinceriore Oculo in Maiestatis Tuæ Serenissimum Jubar defixi ſentimus cum Germania: & dum in futurorum annorum ſcenam mentis aciem emittimus, non poſſumus non afflictæ per tot bella Germaniæ, & ſæpiùs impugnatæ Hæ-

reſûm rebellione Orthodoxæ Eccleſiæ, Regnis átque Provincijs, imò orbi univerſo bene ſperare, bene ominari. Tuâ nempe id factum eſſe INDUSTRIA, Tuo firmatum CONSILIO agnoſcimus, MAGNE IMPERATOR, quòd exacto tuâ ſapientiâ & fortitudine inimico Marte, redierit orbi AUSTRIACA pacis SERENITAS, populis quies, Religioni Catholicæ pretium, Eccleſiæ Authoritas, bonis omnibus optatiſsimæ, & perennaturæ tranquillitatis malacia. Quæ quidem omnia avitæ virtutis decora, quemadmodùm TUIS nata veneramur Auſpicijs, ita eorundem perennitatem, & promanantem inde in ſubditorum animos felicitatem Tuo debebimus HYMENÆO· Atque hoc eſt demiſsiſſimæ aggratulationis noſtræ argumentum rudiori quidem, ſed ſincero poſteris tranſcribere calamo, quantum Auſtriacis contracta cum præcipuis orbis Chriſtiani Domibus conjugia attulerint felicitatis. Certè Auſtria ipſa per fortunatum Alberti I. Imperatoris cum Eliſabetha Hymenæum ceſsit Auſtriacis. Alſatiam Alberto Sapienti, ac ſimul Rudolpho I. Hedwigis peperit. Eisdem Ungaria, Bohemia, Luſatia, Sileſia, Moravia, terræ populis, ac opibus divites, ex Alberti Secundi, cum Eliſabetha Sigiſmundi Cæſaris Filia, conjugali pompa primò, deinde annis ſequentibus nuptiarum jure Ferdinando Primo ex Anna Uladislai Ungariæ, & Bohemiæ Regis Filia in dotem ceſſerunt. Burgundia, & Belgium Maximiliano Primo ex Maria Caroli Burgundiæ Ducis, Belgarumq; Principis Filia, dotale in pignus eſt datum. Nec minùs deinceps Luſitania, potentiâ famáq; orbe toto celeberrimum Regnum, Auſtriacos eſt venerata; quòd Carolus Quintus Iſabellam Emmanuelis Regis Filiam Sponſam duxerit. Denique Hiſpanorum ingens Monarchia Philippo Primo paruit, quia Joannam Ferdinandi,

&

& Iſabellæ Catholicorum Regum Filiam in torum accepit. Quæ omnia tot Heroum trophæa, quia per TE, SACRATISSIME CÆSAR, non conſervanda duntaxat, ſed etjam amplianda nullatenùs dubitamus, IBERAM annulo incluſimus, ſymbolo æternitatis GEMMAM; quam quia vigilantis deſuper Auſtriaci SOLIS radij amabili fulgore illuminant, digniſsimam efficiunt Cæſareo in diademate radiare. Ut verò perpetuâ TIBI, ac toti SERENISSIMÆ DOMUI TUÆ deinceps luce GEMMAM hanc fulſuram intelligas, immortalitatem illius ex TUA, & AUGUSTISSIMÆ CONIUGIS GENEALOGIA ominamur. Quam dum perteximus multorum fatemur ſæculorum, Principumq; virtutes in Vos ſolos immigrâſſe: totidemq; Vobis ſæcula ab immortali DEO, & Cælitibus exoptamus; quotquot à Majorum Veſtrorum ætate, ut Vos orbi ederent, ad hæc uſque tempora glorioſiſsimè perdurârunt. Hæc vota noſtra, ſi propitium Numen audiat, feliciſsimus hic Hymenæus in ingentes ſpes Auſtriæ, in emolumenta tot populis, in plauſus & triumphos orbi univerſo vertetur. Ita

MAIESTATI VESTRÆ

Devotiſſimè vovet

Collegium Archiducale Societatis
JESU Græcenſe.



HOC DVCE
Quo duce Burgundos Genitor, Belgasq; gubernat;
Hoc et Ibera capit Regna Philippus Eques.
Philip Kilian Sculp.

PHILIPPUS PRIMUS,

MAXIMILIANI PRIMI CÆSARIS AUSTRIACI FILIUS, BELGII PRINCEPS, BURGUNDIÆ DUX, ARCHIDUX AUSTRIÆ, HISPANIARUM REX,

GErmaniæ Heſperus,
Heſperiæ Phoſphorus,
Æſtivum circa ſolſtitium natus
Longiores terris ſuis portendit dies felicitatis;
Eo ferè tempore,
Quo è galeis emerſit Gallia,
E bellis Belgium:
Genuinus Princeps pacis,
Ad Divi Donati
A Tornacenſi Præſule Chriſtianâ undâ luſtratus,
Obvijſque ulnis exceptus eſt
Tanquàm magnum donum DEI.
Parentibus, Maximiliano, & Mariæ,
Filius fuit *Riſûs*:
Utpotè in tam vaſti Imperij ſpem educandus.
Vix triennis Burgundicis equitibus adſcriptus
Exinde *Symbolum* ſumpſit
In *Equo Armatum.*
Teneram ætatem Auſtriacâ indole;
Virili prudentiâ puſillum correxit corpus.
Solem imitatus,
Qui etiam in aurora ſibi meridianus eſt.
Primum ei, & vix ſeptenni

Cum Invidia bellum fuit,
Quæ vulpinâ facie tecta, cùm bellum probum (ut videbatur)
Suaderet;
Flandris ad probiora pacis conſilia reſpicientibus,
Simul detecta eſt, & neglecta.
Latere non potuit in tenero animo
Adulta jam virtus, quia Paterna.
Hinc ut olim Chij, & Colophonij pro Homero;
Ita pro Philippo Flandri decertârunt,
Et Brabantini.
Tanto tamen theſauro ſuperba Flandria
Etiam Parentem reſpuit;
Donec Filij precibus flexa
Utriuſque triumpho Gandavum nobilitavit.
Lacrymata eſt vaſtiſsima civitas pertinaciam ſuam:
Simulque Parentis, ac Tutoris fidem,
Filijque, ac Clientis fidelitatem
Exoſculata, fida permanſit, & fidelis.
Hinc Brabantinorum armatam violentiam
Vertit Philippus in inermem benevolentiam;
Quos ut Patri, ſibique arctiùs devinciret;
Aurei velleris divitibus
Innexuit catenis.
Sic & Geldriam conciliavit:
Cui rurſus inſolenti,
Ne Auſtriacos, amabileſque vultus
Severitate peregrinâ exaſperaret,
Albertum Saxoniæ Ducem præpoſuit.
Ita *Pater Patriæ*, etſi adhuc ſub tutela, audijt.
Ita extraneos quoque rapuit,
Ubique ſecurus periculorum.
Adeò *ſemper inter amabiles incedit comites*
Animorum amica Regina comitas!
Galliam adijt liberè, tanquam ſua eſſet Patria,

Tan-

Tantumque domeſticâ effecit humanitate,
Ut externorum amore, & honore paſsim ambiretur.
Plus expectare non poterat Rex ipſe Ludovicus redux,
In Magno Senatu Pariſijs
Auditus eſt ut DEUS Delphis loquens.
Ad urbana ſpectacula vocatus
Præſertim ſpectatus eſt.
A Rege, & Regijs Bleſsij exceptus,
Non niſi pacem ſpirabat
Cœleſtis Caduceator:
Hac à Ferdinando Socero procuratâ
Iteratò Gallos quaſi aureis ex ore catenis
Sibi devinxit.
A corporis concinnitate,
Et vultûs decore
Paſsim *Pulcher* dictus.
Talem ſe probavit, & Reginæ Joannæ
Ferdinandi Filiæ, & Hiſpaniarum Hæredi.
Cui cùm uſque in vitæ ſocialitatem placuiſſet;
Univerſam Hiſpaniam humanitatis cæpit armis.
Reliqua Martis arma in filios tranſtulit
Carolum, & *Ferdinandum Cæſares*,
Qui toto pænè orbe feliciter dimicârunt.
Major Philippo Macedone,
Et felicior:
Nam quatuor filiabus optimè elocatis
Quinque Regum Socer dictus eſt;
Emmanuelis Luſitani, & Franciſci Galli per Eleonoram,
Joannis etiam Luſitani per Catharinam,
Chriſtierni Dani per Iſabellam,
Ludovici Pannonis per Mariam.
Magna hæc, & ſingularia;
Plura virtus, & felicitas promittebat.
Verùm in ſummo ſtare diu nulli mortalium conceſſum.
Tantam utriuſque orbis Monarchiam

 Non

Non rexit niſi biennio
Immaturâ morte per ardentes febres ſublatus.
Ipſe fluxam ſpem hoc verſu luſit, & illuſit;

Urbes, & populos, diverſaq; regna tenebam,
Spes dabat Imperium, ſpes dabat orbis opes.
Si ſpes in quemquàm, fuerat mihi gloria prima.
Heu! Heu! quanta fuit ſpes mea, tanta jacet.

Nempe etiam huic
PULCHRO ſtare diu Parcarum lege negatur.
Sublatus eſt vivis,
Cùm *Sol Libram* ingrederetur,
Vocatus utpotè ad *bilancem* divinæ Juſtitiæ:
In qua *minus ponderare* non potuit,
Cujus vita DEO fuit, hominibuſque
Amabilis.
At Tu

LÆtare felix Auſtria, Cæſarum
Regumque Mater, Gloria Principum
Orbis voluptas, & vel ipſis
Sideribus veneranda Diva.

Primus Philippus Turribus imperat
Hiſpaniarum. Regnaque Celtica;
Vaſtoſque fines Indiarum
Auſtriacis ſociâſſe terris,

Regniſque gaudet. Nunc Leo Belgicus
Cum Celtibero, cumque Bohemico
Fortunam adorant Auſtriorum:
Quiſque tuæ vigil adſtat aulæ,

Et in rebelles excubias agit
Fideliores: nunc tua quilibet
Ad ſceptra, regaleſq; vires
Solicito tremit enſe Mavors.

Prô

Prô quàm potentem Te ſoboles tua
Martem Philippus reddidit Auſtria!
Quando per ipſum nunc propè omnes
Occidui moderaris aſtri

Virtute terras. Non ſatìs eſt tuis
Præferre ſignis fulminis alites,
Quibus gubernas Teutonum Urbes,
Aut ſubitos cohibes tumultus,

Hoſteſque terres. Non ſatìs eſt ſacrum
Contra Othomannos Pannonicæ Crucis
Jactare fulgur, vel Bohemo
Vandalici prohibere Martis

Leone pugnas: ſed neque ſufficit
Huc uſque triplex Dalmatiæ caput
Rexiſſe, vicinique Regni
Cratigeram tenuiſſe peltam.

Ad plura nata es, pluribus exigit
Præeſſe regnis Auſtriadûm genus.
Hinc poma Granatæ, hinc Toleti
Sidereum diadema gemmis,

Sceptrum Navarræ, tecta Valentiæ,
Hinc Tarraconæ Regia jugera,
Turreſque Caſtellæ, Tagique,
Et reliquas Patriæ coronas,

Adhuc avito Rege ſuperſtite
Lubens Philippo cedit Iberia:
Quem Gange, Pactoloque dives
Innumero quoque ditat Indus

Auri tributo, claſſeque ſupplici
Colit Monarcham: quin & Americæ
Pars magna, quantumvìs remota
Auſtriacis didicit ſubeſſe

Lubens Alaudis. Singula jam propè
Fauſto Tuorum climata geſtiunt
Uti colore : hoc obſtupeſcit
Mundivagi Pater ipſe Ponti,

Quàm glorioſo Te Tua claſsico,
Tuamque circùm fama potentiam
Evulgat orbi : dum Philippi
Heſperijs dominantur oris.


PLVS VLTRA
Herculeas metas superauit CAROLVS; Vltra
Plus vocat Austriacus Te, LEOPOLDE, labor.

P. Kilian f.

CAROLUS QUINTUS IMPERATOR, PHILIPPI PRIMI REGIS FILIUS.

OMnium oculi in Unum defigantur,
In quo omnium nationum ſuffragio
Omnes Magni belli Imperatores deſignantur.
Legant in *CAROLO QUINTO*
Germani non ſemel *Carolum Magnum,*
Hiſpani *Alexandrum* quoque *Magnum,*
Itali *Pium Davidem,*
Galli ſuum *Herculem,*
Siculi *Scipionem Africanum,*
Africani *Hannibalem,*
Turcæ *Julium Cæſarem:*
Omnes Magni legantur in Uno
Ex naſcendi ſerie Philippi *Filio,*
Ex Forte & Fortitudine Maximiliani *Nepote,*
Ex Pontificum oraculis
MAXIMO.
Rudimenta militiæ Carolus poſuit
Contra Mauros,
A quibus Victor cùm duo auferret vexilla,
Avoque offerret;
Nactus eſt Germaniam, & Hiſpaniam.
Romanum Imperium Fridericus Saxo
Electorum jam tenuit ſuffragijs:
Sed Carolus ſuperveniens
Viſus eſt jure potior,
Etſi tempore poſterior.
Sic *bene emicat, qui bene dimicat.*
Non compulit electum cedere,

Eligi tamen rogatis, quas non rogavit, ſententijs
Cedenti non eſt tergiverſatus ſuccedere
Novo prodigio, raro exemplo
Sic etiam regnaturus.
Ilicò frenduit *Aſia*, tremuit *Africa*,
Stupuit *America*,
Caput erexit hæreſi jam inclinata *Europa*.
Pars hæc melior orbis
Gaudio, factione, invidiâ, irâ, furore, terrore,
Plaudere, tumultuari, ringi, uri, æſtuare, algere.
Tanta potuit Unus!
In hoc bicipitis Majeſtatis faſtigio
Quantus ſibi defuiſſet;
Si invidis, tamque potentibus abſuiſſet.
Ne ergo inglorium aliquando eſſet
Aut non licuiſſe experiri, quod poterat;
Aut non voluiſſe, quod licuiſſet,
Contra audentior ibat.
Hîc velut agmine facto
Unà Euruſq; Notuſq; ruunt, creberque procellis Africus,
Et tanto turbine perflant Europam univerſam,
Ut, niſi ſtetiſſet *Auſtriacus hic Hercules ad Clavam*,
Sediſſet *tantus Imperator ad clavum*,
Actum eſſet de Prætoria Reipublicæ.
In tanta furiatæ Europæ tempeſtate
Uno hoc opus erat,
Qui ubi præſens poſſet vincere, adeſſet ſemper;
Ubi abſens poſſet vinci, abeſſet nunquàm.
Qui ne columnas quidem ſuas patiebatur eſſe ſtationarias:
Prorſus in hoc *diſpar Alexandro*;
Quod ille in *columnis Gaditanis*
Communes otij, laboriſque terminos,
Cum feſſo Hercule inſcripſerit,
Unâque in Orientem laborum ductâ lineâ
In otium incuruatus

Sub

Sub Præceptore Peripatetico minimè Peripateticus
In orbem currere non didicerit:
Hic verò perennibus in orbem expeditionibus
Expeditior factus
Moras omnes increpare ſit ſolitus.
Oceanum, quem ingredi Macedo *Philippi* nunquàm;
Quem Jaſon Argonauta tentare ſemel eſt auſus,
Carolus *Philippi* decies ſexies remenſus eſt
Toties aureum vellus meritus,
Aureaſque coronas.
At qualem *Carolum* Solymannus
In *Auſtria*, *Ungaria*, & *Dalmatia* expertus eſt?
Cujus chirotecam ſi tantùm timuit, quantùm manum?
Poterat tum dejici Oriens, ſic nutans,
Sed malum in viſceribus Germaniæ
Domeſticam à ſuo Capite opem flagitabat,
Certè ad ſolius Imperij Germanici curationem
Centum quadraginta mille venas vitæ incîdi oportuit.
Tantus morbus tantâ indiguit chirurgiâ!
Sed Carolus ſubactâ uno menſe Saxoniâ,
Octo Germaniâ universâ;
Franciſco Gallo, Friderico, Saxone devictis,
Triumphatis Americæ Regulis duobus de viginti:
Tot numeravit victorias, quot pugnas.
Quadraginta diebus conflixit ſepties,
Septuagies juſto prælio conſervit:
Dubitares inter hæc tanta
Faciliùs vicerit, an pepercerit.
Tanta in *felicitate Majeſtas*,
Tanta in *Majeſtate facilitas.*
Sciverat nempe Auſtriacum eſſe, & Auguſtum
Irâ non regi,
Invidiâ non uri,
Nec beneficijs vinci, nec maleficijs,
Victorijs non inflari,

Sed ad ulteriora potiùs inflammari.
Interea vel ut hominem ſe meminiſſet mortalem,
Vel quo tantiſper conderet præcerptam ex tot victorijs palmam,
Sarcophagum viæ ſocium legit, & circumtulit.
Quem præclara geſta fecêre mortalibus ſublimiorem.
Tandem victo orbe ſe ipſum vicit,
Sibi vixit
Abdicato Imperio.
Hîc nemo *plus ultrà.*
Audite vel è cœlis indigetem Carolum:

NOn plus, nec ultrà pugno, pugnatum ſatìs.
Cedo quieti Carolus, cedo inclytis
Feſſus triumphis. Cœlites noſtrum caput
Beatiore laureâ dignum citant.
Satìs gelato Rhenus admiſcens mari
Undas, Viſurgis, Tanais, Oceanus Pater
Satìs ipſe, quaque terminat curſum Moſa,
Sensêre gentes Caroli invictam manum.
Satìs Garumna pulverem terſit comis,
Dum victor enſis ſanguinis potu ſatur
Torqueret æſtu militem, ſiti Ducem:
Sat caſtra lavit Scaldis, & præceps Arar:
Sat Vahalis alto murmure applauſit lubens
Noſtris triumphis: ſorbuit truces minas
Recalcitrantis imperî pro me ferox
Iſter, Scytharum terror, Europæ ſalus
Non plus, nec ultrà. Circulus tandem meæ
Peractus eſto gloriæ. Gnati Patrem,
Regem ſequentur Auſtrij Reges: Pij
Me *Ferdinandi*, me *Leopoldus* Nepos
Virtute Major, æmulo ſceptro potens,
Exemplar artis bellicæ, & pacis ſimul
Cæſar ſequetur Cæſarem ultrà, non ſat eſt.

FERDI-


LVNA SVB PEDIBVS EIVS
Cede globo Thrax ense ferox: immobile regnum
Cæsarea hæc ales mobili in orbe tenet.

FERDINANDVS PRIMUS IMPERATOR, PHILIPPI PRIMI REGIS FILIUS, CAROLI QUINTI FRATER

ORtum ab occaſu eſt auſpicatus:
Si tamen occaſum reſpicit Hiſpania,
Cujus coronato vertici Sol nunquàm occumbit.
Ad Imperij faſces à faſcijs educatus eſt
In Materni Avi Ferdinandi aula,
Qui primus ob ejectos Sarracenos
Catholici Regis nomen obtinuit;
Utrumque in Ferdinandum tranſtulit.
Ætatem primam ita exegit Ferdinandus,
Ut, dempto tempore,
Annos infantiæ non numeraret
Morum nativitate præveniente ætatem;
Quam, gubernaturus orbem,
Et juventutem Regnis parem, armis, & literis ita excoluit,
Ut nec in mollitiem difflueret animus inter Muſas,
Nec in feritatem exaſperaretur inter arma:
Quòd ab inermi Pallade exarmari ſciret Principis Majeſtatem,
Et amorem periclitari à Marte illiterato.
Latinis literis à teneris aſſuevit;
Ut jam Cæſar aliâ linguâ frequentiùs non uteretur,
Quàm Latinâ.
Indignum ratus in *Romani* Imperij capite
Linguam non reperiri *Romanam*.
Annos natus tres ſuper decem
Prætextâ poſitâ purpuram, & togam ſumpſit.
Pro Fratre Carolo Pro-Rex Hiſpaniæ

Humanitate animos Magnatum ita traxit,
Ut Ferdinando præ Carolo adhærerent.
Verùm utrumque Numen,
Licet amica, & Germana ſidera,
Caſtorem, & Pollucem
Ne Cœlum Hiſpanicum tulit.
In Auſtriam itaque profectus Ferdinandus
Terris his *caliginem deterſit*
Ex Maximiliani Avi obitu ortam
Suâ ſerenitate,
Futurus Pater, licet non in Patria,
Tot Filiorum, quot ſubditorum:
Quibus ut Matrem daret,
Quæſivit Reginam:
Auſtri-acus polum reſpexit
Adſcitâ in tori, & throni Societatem
Annâ Ladislai Poloniæ Regis Filiâ.
Poſt hæc Joannes Czepuſienſis
Spem ad Solium in hærede præciſurus
Superbum immiſit Solymannum
Per portam Otthomannicam
Ad uſque Viennæ pomœria.
Sed, quòd nihil Imperij *in Solem*
Sibi compromitteret Luna,
Juſſa *nocti præeſſe:*
Ut proterviæ ſuppuderet; Solymannus
Vaſa Collegit Octobri plena ſanguinis.
Et ita Ferdinandus, cùm ageret Ratisbonæ,
Imperiali Comitia comitate ſibi devinxit
Rex Germaniæ ſalutatus.
Hydra Hæresûm mox *Herculem ſenſit*,
Sed hanc cùm *igne* mallet, quàm *ferro perdere*;
Igneam Divi Ignatii Sociorum flammam
Viennam ab Urbe adduxit,
A qua multùm incaluit

Ipſa

Ipſa jam in Hæreſeos frigidum virus prona.
Tandem Imperij ſeptimo anno
Sabbathum quietis acturus
Die antè prædicta, D. Hiſpaniæ Tutelari ſacra
In Pace obdormivit
Pius Cæſar,
Qui *Rex*, & *Imperator*
Miro portento
Qualis de utero, talis translatus ad tumulum,
Cui primam innocentiam intuliſſe creditur.
Inter tot *Purpuras*
Gentilitij ſui campi medium
Semper *ſervavit candidum.*

O Nata Divis Auſtria! quæ caput
Æquale cœlo tollis, & æmulo
Cum Sole diſpergis ſerenæ
Et jubar, & radios coronæ.

Tuum profuſo prona Alemannia
Adoro vultu Numen, & Imperî
Submitto faſces: ô ruentis
Præſidium, columenque mundi!

Pridem bicornis Cynthia Thraciæ
Noſtris micaret turribus ardua;
Pridem meis Regnis cruento
Phoſphorus irradiaret aſtro;

Nî fulminatrix Auſtriaci Jovis
Ales pudendæ cornua Cynthiæ
Fregiſſet Eoos in hoſtes
Flammivomas jaculata tædas.

Hinc thura ſacris ingerimus focis,
Et Victimarum ſanguine, milleque

Libis coronatas Tuorum
Indigetûm veneramur aras.

Quotquot virentes totâ Alemanniâ
Diana ſaltùs pandit, inhoſpita
Laureta ſylveſcunt perenni
Vere novas poſitura Lauros.

Jam quà propinquos deſpicit ardua
E rupe campos Nitria Pannonum,
Quà colle ſe faſtigiata
Læva levat modico per auras;

Daphnæa paſsim laurea divitum
In ſerta ſpargit præmia frondium
Sacris inumbratura ramis
Dive tuam *Leopolde* frontem.

Quà ſe recenti ſanguine decolor,
Multoque ſtagnans Raba cadavere,
Et ſcuta voluens, & ſariſſas
Sanguineo rigat amne Lauros:

Hos nempe ludos debuerat tuo
Eos triumpho, quem Tibi amabili,
Et in cruento, *Magne Cæsar*,
Victor Hymen peperit duello.


PRO CRVCE SCEPTRA GERO
Religionis honos regnat regnante Philippo
Imperat ex uno Rexque, Fidesque throno.
P. Kilian ſ.

PHILIPPVS SECVNDVS REX HISPANIARUM, FILIUS CAROLI QUINTI ROMANORUM IMPERATORIS.

DEUS, *virtus*, & *natura* in hoc Principe
Perfectum Principis efformârunt Archetypon.
Non dum altricis ope carere potuit *Philippus*,
Jam ubera virtutibus regijs præbuit alimenta.
Matura tot gentibus daturus imperia
Primùm ſibi imperare didicit:
Profeſſus nolle ſe ijs legem dare,
Qui ſempiternas non ſequerentur.
Et ſi Juvenis præeſſet, Phaëthontis fata non metuit,
Quem Phœbi parentis imperium, non juvenilis ambitio, præeſſe juſsit.
Sic Burgundiam, ſic Belgij Provincias adijt *Catholicus Rex*,
Ubique inimicas Romanæ luci noctuas deteſtatus,
Simulque teſtatus, *Regum piorum humeros*
Subditorum flagitijs premi,
Hæreſis immani *pondere penè opprimi.*
Primùm Mariæ Luſitanæ Eduardi filiæ junctus fuit:
Hæc inter ultima naufragij, & incendij pericula ſervata,
Per utrumque elementum illæſa tranſivit.
Pallas ſui temporis
Felicem fecit Hiſpaniam,
Dum Philoſopharentur etiam Reginæ.
Alterum connubium cum Maria Angla fecit:
Hoc felix futurum erat, & fæcundum Religioni, ſi diuturnum:
Sed cum Rege viduo viduatur Religione olim Religioſum Regnum.
Succeſsit *Iſabella Henrici Secundi* Regis Galliarum Filia,

 Unio

Unio potentiſsimorum Regnorum.
Poſt hanc ad Auſtriam ſuam reſpexit PHILIPPUS,
Annamq́; ſibi junxit populorum omnium ſolatio.
Bella geſsit fortunâ vix variante, fortitudine ſemper pari.
In uno Fabius fuit cunctabundo *Conſilio*;
In altero *Hannibal* veloci *Induſtria*,
Cùm priùs hoſtem fuderit, quàm legiſſe militem putaretur.
Ipſo Divi Laurentij die quot meſſuit laureas?
In omni bello, præter pacem, aliud non quæſivit,
Quò maximè retulit Religionis unitatem:
Ratus ſine hac regi non poſſe Regiones.
Ad acerbos fortunæ aſſultûs ſtetit intrepidè,
Ad blandientes Favonios modeſtè.
Prudentiâ ſingulari intricata hoſtium eluſit molimina.
Sapienter ſenſit:
Ut magnæ naves multis egent remigibus;
Ita Regnorum amplitudinem
Multis indigere conſultis.
Ad Catholici, nomen JUSTI Gentium ſuffragio meruit:
Ut cælitibus fundaret aras, arcas effudit.
Publica Regnorum negotia rarò cum diei termino terminavit.
Ad hæc ſæpè citiùs manè regreſſus eſt,
Quàm à cœlo digrederentur ſidera.
Amori in ſubditos ſororem junxit munificentiam,
Pauperum egeſtati, etiam non rogatus, ſuccurrit.
Exulibus Catholicis Patriam dedit,
Prætores Urbibus,
Paſtores Ovibus,
Litteratis Seminaria, & Academias,
Filio in morte præcepta vivendi, regnandi, & moriendi,
Cum flagello adhuc Auguſti Parentis ſanguine cruento.
Hæ ſunt peculiares Auſtriacorum manubiæ.
Etiam Romano oraculo
Acerrimus uſque ad mortem fuit
Fidei Defenſor.

Certè

Certè *Paulo Quarto Romano Pontifici, amara alioquin mors,*
Jucundior fuit,
Quòd tam validam poſt ſe relinqua
Eccleſiæ *COLVMNAM.*

COlumna Veri ſcilicet Auſtria, &
Tutela clavis certa Vicariæ,
Cujus ſtirpis Auguſtam ſequelam
Cana Fides, Pietaſque ſancit.

Exoſa ſectas, falſaque dogmata,
Adulterinas hæreſeon procul
Fugat catervas. Prima cura eſt
Romuleas reparare leges,

Lucemque cæcis ſpargere gentibus:
Quacunque faſces, & decus Imperî
Infundit orbi: Regna ſpernit
Monſtrigeris vitiata ſectis.

Et jam quaternis purpura ſæculis
Martis cruentos luſit acinaces:
Non livor evertit trophæa;
Aut niveæ diadema frontis.

Hoc priſca Virtus, hoc Pietas dedit,
Fideſque pignus: ſtabit, & ultimis
Superſtes annis perduellem
Deſpiciet ſolio Gradivum

Gens Auſtriorum. Fallor? an aureis
Sculptum coloſsis cerno ſequentium
Genus nepotum, regiaſque
Continuâ ſerie coronas.

Fundat Coloſſos vivida Caroli
Virtus Parentis : fundat adoreos
Semper celebrandos triumphos
Regis Avi pietas Philippi.

Arriſit æther : magne Monarcha, quòd
Sub glorioſis auſpicijs tuis
Toto mari Pirata pulſus,
Et tumidus Saracenus omnem,

Procul fugatus, Principi Iberiam
Suo reliquit : Numinis, & Domûs
Magnæ propago; per Nepotes
Hæc capiet documenta Avorum.

Ceu Sol coruſco luminis eſſedo
Vectus, quaternis axe jugalibus
Propellit atræ vela noctis
Sidereo redivivus axe;

Sic purpuratis curribus exulem
Terris reducunt *Auſtriaci* diem:
Infeſta luci ſpectra dudum
Hoc nitidum metuêre *Nomen.*

Sed alma virtus grandia candido
Inſcripſit aſtris pollice nomina,
Dignóſque ſceptris, & coronis,
Perpetuos vocat ad triumphos.


ABSQVE METV
Non domus hæc metuit ventos, fluctusq; minaces
Cum non vincendâ sit solidata Petrâ.
P. Kilian ſ.

CAROLUS ARCHIDUX AUSTRIÆ, FILIUS FERDINANDI PRIMI CÆSARIS

CÆSARUM *ABNEPOS, PRONEPOS, FILIUS, PATER, FRATER, AVUS, PROAVUS*
Quantus fuerit docent Auguſtiſsimi.
Exortus Viennæ Urbe Principe cum Principe Planetarum.
Oſtendit Auſtriacam indolem in cunis velut è rimis.
Præproperâ peregrinatione Hiſpaniæ, Germaniæ, Italiæ illuxit
Æſtimator omnium nationum, ideoque ab omnibus æſtimatus.
Hinc redux
Alienos ab Auſtria mores non aſſumpſit.
Miſſus ad diverſos Principes
Summa negotia ſummâ tractavit felicitate, & facilitate.
Triginta natus annos, non antè;
Parem ſibi matrimonio junxit *MARIAM BAVARAM.*
Interioris Auſtriæ Archidux,
Decem & quinque liberorum Pater,
Nulli non orbis parti ſalutaris fuit.
Unam *MARGARITAM* Hiſpania recepit,
Ut *ALTERAM* redderet pretio parem.
Non ſervile duxit, ſervire illis, quibus imperabat.
Nemo tam calamitoſus erat,
Quem ſerenus *CAROLI* oculus non recrearet,
Liberalitas relevaret.
Tantam munificentiam ſumma modeſtia coronavit,
Vix gratias admittebat magnus, & communis Benefactor.
Sed tu minima *JESU Societas* tanto Fundatori ingrata eſſe non potes;

Ut gratias referas, ipſe te locus monet.
Græcij amplum Collegium tibi extruxit *CAROLUS*,
Ut impietatem deſtrueres:
Addidit Academiam,
Ut referas Gratias infinitas, perennes, ſinceras
Ternas, id eſt, omnes.
Non defuêre inter hæc ſua Palladi arma,
Intuitus Styriam Machumetanus abijt:
Præſentia *Magnanimi CAROLI* terruit.
Hæc murus ſuis fuit, hoſti metus.
Recedente unius capitis belluâ
Adfuit altera multorum,
Hæreſis.
Augebatur hæc publici morbi inſtar celerrimâ graſſatione,
Herculem invenit *CAROLUM*;
Sed non ſine *Theſeo Filio FERDINANDO.*
O genuinum tanti Patris Filium in Orthodoxa pace!
O felicem tanti Filij Patrem cum Orthodoxa plebe!
Rotata eſt tota *CAROLI* vita
Per duos quaſi polos
Timoris, & Amoris Dei:
Hinc omne ſcelus, quod à letho nomen habet,
Plus letho ipſo abhorruit:
Deum colentes coluit ipſe.
E Divis eximiam habuit Divorum Reginam,
Divum Petrum, & *D. Ignatium Lojolam.*
In vivis unicè venerabatur ſummum Chriſti Vicarium.
Supplicationes inſtituit crebras, præſertim Marianas;
Ultimam Cellas, inde in cœlum.
Dum moritur;
Sol defectum patitur,
Terra magnis motibus quatitur.
Uterque publici doloris interpres:
Ille *atratus* quoque incedebat,
Hæc *ſcindebatur in luctus.*

Denatus eſt *menſe Junio, quo & natus:*
Quinquaginta annorum *jubilæum,*
Quod in terris vixit,
Jam *continuat per felicem æternitatem.*

FAllórne? doctas Calliope fides
Ad metra tentat. *Carolus* Auſtrius
Eſt meta Votorum. Minerva
Virginibus comitata centum

Grato ſalutat poplite Principem.
O Græcienſis gloria Palladis!
Decuſque Muſarum perenne!
O Patriæ columen! Paterque!

Hoc fama nomen geſsit in ultimas
Trilinguis oras, quâ medius liquor
Secernit Europen ab Indo,
Aurifer & lavat arua Ganges:

Et quà Bootes Parrhaſiæ jugat
Arcto Triones: & medio dies
Quà pendet elibratus axe,
Sanguis ubi Tuus imperabat

Terrarum amatus Regibus, & priùs
Coràm vel hoſpes viſus es intimus,
Hermes inauditus vel aures
Socratico ſaturâſſe melle,

Alerque Neſtor fædera ſerius
Ligâſſe rupta, aut priſtina legibus
Et Gordio adſtrinxiſſe nexu
Amphitryoniadæ lacertis

 Non

Non diſsvĕndo : ſeu Pericles feram
Cùm fulminator Colchida vindicas,
Templis triumphaleſque victor
De vitijs ſtatuis coloſſos.

Apollo certe! flūmina qui labris;
Ultrice vibrat fulmina dexterâ.
Utrinq; Phœbus, biſque ferre
Dignus idem diadema lauri.

Utrinq; Phœbus, diſcite poſteri!
Eſt Patriæ idem, & Palladis *ARCHIDUX*.
Debemus huic ſacros, Athenæ
Styriades, latices Parenti.

Scientiarum flumina, & alveos
Quod ore, plenâ & potet amyſtide,
Nectarque deſpumet Deorum
Ingenij monumenta celſi

Laudata Pallas: *CAROLE, CAROLE*
Tu Magnus author : ter Tibi barbita,
Lyraſque tangunt Græcienſes
Pollice Virgineo Camœnæ,

Semperque magni Sanguinis Auſtrios
Canent perenni carmine poſteros,
Et Filios, & Filiorum
Continuam in ſeriem Nepotes.

FERDI-


IN HOC SIGNO
Crux, Fernande, Tibi palma est, et causa triumphi:
Sic, Fernande, Cruci vincis, et illa Tibi.
Philip Kilian ſ.

FERDINANDVS SECUNDUS ROMANORUM IMPERATOR, CAROLI ARCHIDUCIS FILIUS.

STyria in valles etiam Martias depreſſa,
Monteſque ferreos elevata
Ferdinandum edidit, virtus fecit,
Qui ferrei ſui temporis ferociam
Marte, ferroque dejiceret.
In Bohemiæ die Principibus Apoſtolorum ſacro
Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo ſeptimo,
Et altero in Hungariæ Regem inauguratur,
Cujus operâ
Centies centena hominum millia Eccleſiæ reſtituta ſunt.
Tertio dein anno Francofurti *Augustus*
Salutatur in *Auguſto menſe.*
Duodecimus è Domo Auſtriaca Cæſar
Coronam *anno* inponit *Auſtriaco*,
In quo omnis menſis *Auguſtus* foret.
Imperij inſignia tunc ſuſcepit,
Quando nata in terris *Virgo Mater*
Inaugurata eſt mundi *Regina*;
Non ſine omine
Diviſum ſcilicet *cum Virgine Ferdinandi fore imperium*,
Quam ſupremam armorum ſuorum Imperatricem ſemper eſſe voluit.
Ad clavum conſtituto princeps cura fuit
Sacram Religionis firmari anchoram:

H *Quâ*

Quâ motâ
Univerſam periclitari ſciebat Reipublicæ navem.
Apertè conteſtatus
Malle proprium à cervice,
Quàm Imperij Politici caput
A *Romano* avelli:
Malle ſe in partes diſſecari,
Quàm ut ferat fidei unitatem diſcindi:
Paratum ſingulis fidei articulis firmandis
Singulos corporis articulos impendere.
Lauretum peregrinatus
Novus ad aras Marianas Hannibal
Non Punicâ, ſed *Romanâ fide* juravit
Se hæreſes ſuis Provincijs exacturum
Etiam cum capitis periculo.
Voti reus fecit, quod erat de votis bonorum Cœlitùm.
Acceptam à R*UDOLPHO* Primo
In *cruce* pro *ſceptro* imperandi regulam
Conſtanter tenuit.
Hæc ſalutis armamentarium,
Hæc oraculorum cortina,
Hæc ſacra ara,
Cui *Cæſarea* toties inclinabatur *Majeſtas*
Affixo terræ corpore;
Quoties F*ERDINANDUS* malorum mole premebatur.
Felix, extra fabulas, Antæus.
Quo ſic *jacente*
Hoſtes ſtare non poterant.
Sub hoc Clypeo Achilles intrepidus ſtetit,
Nullis lædendus hoſtium telis.
Hoc ſignum erat, in quo vinceret.
Quod de cœlo promicabat,
Ut in terris triumpharet.
Cujus trophæum tot hoſtium exuvijs cumulavit,

Ut

Ut in copioſas lauros ſylveſceret.
Victorijs,& triumphis non efferebatur:
Eâ animi ſublimitate firmatus;
Ut aliunde nec creſceret, nec decreſceret.
Principum humaniſſimus
Amorem, & *Majeſtatem* eodem *ſolio ſecum junxit.*
Flexit *amore*, quos *Majeſtate* frangere non voluit.
A natura diſcedere videbatur,
Quando in rigorem deflectere cogebatur.
Supra Orphei cytharam
Conſpecta humanitas
Cicuravit & civium animos, & hoſtium.
Plûs pietate, quàm armis certando
Plures Reges ſuperavit
MAGNUS FERDINANDUS.
Jam coronâ fruitur *LEGITIME CERTANTIUM.*

HUc age ſidereos pernix Victoria currus,
Huc age, flecte rotas.
Florida quà patulis diffunditur Auſtria campis,
Auſtria amor Superûm.
Inſere victrices palmas, ſerta inſere fronti
Frondis Apollineæ:
Dum virides inter lauros *FERNANDUS* adorat
Sacra trophæa Crucis.
Cernis, ut impoſitis Crux laurea fulgeat armis,
Inque ducum ſpolijs,
Armiſque Auſtriacos ornet ſpectanda triumphos
Martia ſigna virûm.
Vexilla, & galeas, & ſparſas ſanguine criſtas,
Cornua cum lituis,
Balthea, loricas, umbones, tela, ſariſſas,
Armaque trunca gerens:

Victor

Victor *in hoc ſigno* F*ERNANDE* à Marte ſubacto
    Laurea ſerta capis.
Herculeáque Crucis clavâ protrita nefandæ
    Hæreſis Hydra jacet.
Hac præeunte viam turritæ ad mœnia Pragæ
    Victor ab hoſte redis,
Adverſoque è Marte Tuis feliciter armis
    Millia multa cadunt:
Dum ſpectant Aquilas inter, Bojoſque Leones
    Signa micare *Crucis.*
Cedite nunc Aquilæ, quas pictis Martia ſignis
    Roma vetus coluit.
Crux Aquilis potior: ſacris *Crux Cæſaris armis*
    Vincit, & ille Cruci.

PHILIP-


MODERATVR VTROQVE
Fulmina dant vitam, quæ lenior ambit oliua
Hac ſine, quæ feriunt fulmina, iacta nocent.
P. Kilian ſ.

PHILIPPUS TERTIUS REX HISPANIARUM, PHILIPPI SECUNDI FILIUS.

NOn eſt ſimilior vena fonti, ramus arbori, pomum pomo;
Quàm *Philippus* Philippo, Filius Parenti,
Hæres
Nominis, & Sanguinis; Regnorum, & Virtutum.
Vitam Patris Legem ſibi ſanxit, quam indole;
Exemplar, quod vitâ effigiaret.
Expreſsit etiam
Philippum Proavum Comitate,
Carolum Avum Magnanimitate,
Maximilianum Abavum Fortitudine:
Atque ut purpuram ex purpura ſinceriùs arbitraretur,
Priorum quoque Hiſpaniæ Regum dotes;
Regnandi peritiam *Ferdinandi* V. Catholici,
Liberalitatem *Alphonsi* à manibus pertuſis dicti,
Religionem *Ferdinandi* ſancti,
Juſtitiam *Alphonsi* XI.
Sic adamavit, ut æmulando ſuas faceret.
Horum geſta vivas voces interpretabatur,
Et efficaces ad ſequendum parænefes.
Noverat Regna à Deo accepta, non niſi ab eodem conſervari;
Fruſtrari humana conſilia, quibus cœlum non ſecundet;
Immobile non eſſe, *quod ad* immobile *Numen non figitur;*
Sicut acus *nautica* non *quieſcit*, niſi ad *lucem Polaris ſtellæ;*
In ſcopulos allidendam Reipublicæ navem

Quæ hanc Cynoſuram non reſpiciat.
Pacem tantoperè ab ſe amatam, & quæſitam
Noluit cum illis, qui cœlo ſunt diſcordes,
Amabilis omnibus.
Hoſtes ſolùm habuit, qui bella movent Pietati.
Cùm vicariò ſe ſciret præeſſe;
Cœli militem ſe dixit:
Agnovit datum ſibi gladium honori Numinis vindicando,
Sceptrum firmandæ Pietati.
In fidem non recepit,
Quos cœlo vidit infideles.
Hoc palmare ſibi aſſerebat decus:
Plùs pro *Aris*, quàm pro *Focis* pugnare.
Verùm ut minimè ſterilis eſt Pietas Principum,
Sic in *Philippo* fæcundiſsimam genuit prolem
Liberalitatem.
Æraria omnia in Dei domum effudit Religioſus Princeps,
Ibi cor fixum habuit, ubi & theſauros locavit:
Locuplete hac negotiatione opes non minuit,
Sed auxit felix fænerator.
Cùm igitur ſemper eſſet, quod conferret:
Unâ manu inanima Templa Numinis,
Alterâ viva ditavit.
Voluit eſſe ectypon DEI;
Sed magìs Munificentiâ, quàm Majeſtate.
Aulam fecit Aram,
Ad quam ſubditorum vota felicitarentur.
Vultu ſpirabat ſuavitatem præ Majeſtate:
Adiri facilis, facilior exorari:
Quia tamen medium virtus tenet;
Amorem authoritate temperavit, hanc benignitate,
Modeſtiam gravitate, clementiam juſtitiâ.
Sic rexit Hiſpanicam Monarchiam, & erexit.
Morbum vitæ limitem interpretatus
Diſtractum, velut ad ſpeculum curis animum, collegit:

Ut

Ut, qui alijs vixiſſet,
Moreretur ſibi.
Cùm tam vana ſint Principum faſtigia,
Hoc dolenter queſtus,
Quòd Religioſum ſibi agere non licuiſſet.
Sed quantùm ſuo judicio infelix,
Tantùm ſuorum, cœlique beatus.
Nimirum Majeſtate Princeps,
Pietate Religioſus fuit.

ET vos ſancta Fides, curaque Numinis
Philippi æthereis inſerüit plagis:
O Fauſta Heſperiæ regna potentiæ!
Cœli fulta favoribus.

Inſanis! jaculis quiſquis in æthera
Pugnas ſæve furor; fluctibus eminet,
(Quid quaſſas decimis fluctibus æquora?)
Quæ cœlo ſtat Iberia:


Et defenſa ſuis ſtabit Iberia
Firma in cardinibus; ceu manet incita
Inter tela Jovis, tortaque fulgetra
Atlas nubibus altior.

Quod ſi barbaricis Boſphorus auſibus,
Antæuſque ferox, aut Liparâ novus
Surgens Enceladus ſideribus minax
Oſſæ Pelion ingerat:

Si Cadmea ſeges ſurgat, & efferos
Spiret Marte focos, tentet & impete
Atroci Superûm limina, & impiâ
Cœleſtes temeret manu:

Nil iſthæc metuas agmina ; fulmina
Sternent Sacrilegos. Stabis Iberia,
Dum ſtabit Pietas. Regna adamantinâ
Firmat Relligio baſi.

Stabis, ceu ſtetit, & ſtat Domus utraque,
Nullis certa quati molibus hoſtium,
Tantæ quando Domus duplicis *Unio*
Eſt rurſus *lapis anguli.*


VMBRA
HAC
QVALIBET
Hâc vmbrâ Imperium Fernandus Regnaq; rexit,
Hinc semper cûiuis hora secunda fuit.
P. Kilian f.

FERDINANDUS TERTIUS ROMANORUM IMPERATOR, FERDINANDI SECUNDI CÆSARIS FILIUS.

QUia totus, *Virtus* erat *Ferdinandus Secundus*,
Totus in *Ferdinando Tertio* Filio vixit
Poſt funera.
In utriúſque Regno
Par temporum iniquitas
Paria ſortita eſt antidota,
Quorum pars magna fuit Sapientia
Ferdinandi Tertij,
Cujus lucem copioſiſsimam à teneris admiſit,
Alijs Imperij Planetis prælūxit,
Bellorūm denſas ūmbras diſsipavit.
Acceſſerunt hæreditariæ *Juſtitia*, & *Pietas*
Nunquàm à ſuo æquilibrio diſſentientes:
Illa victorem ſæpè fecit *Ferdinandum*,
Raró Vindicem,
Præſertim ubi Ratisbonam, Kelheimium, aliáſque Imperij urbes recepit;
Hæc auſterum nunquàm, ſemper Auſtrium.
Talem experta eſt & Nordlinga,
Illa *Ferdinandeæ gloriæ* nota *lingua*,
Ad quam tantam cladem accepit hoſtis,
Ut vitâ ſuorum, vitæque ſubſidijs exutus,
Nîl præter inane Nomen è campo retulerit.

Revexit una illa tot victoriarum dies
Veteres Imperij ſoles
Fugatis tenebris,
Fecítque *FERDINANDUM* tot expugnatis Urbibus
Joſuen,
Tanto hoſtibus omnibus incuſſo metu
Gedeonem:
Fecit *Cæſarem*, ad Aras Flavias Divum, Auguſtum, Flavium.
Hic iterum cum *Sole* certavit *Pietas FERDINANDI*:
An ille *radijs*; an hic *liberalior* eſſet *beneficijs*.
Publica quoque fuit *Pietas*, neminem excluſit,
Civem, Hoſpitem, Principem: privatum pariter complexa eſt.
Profuit præſertim in remotiores oras proficiſcentibus
Animarum causâ,
Ut nemo viveret illius inſcius:
Ne tamen inermis eſſet in contemptum Majeſtatis,
Armata inceſsit *Juſtitia*,
Cujus ferrum nemini ita nocuit, quin profuerit.
Senſit *FERDINANDUS* ipſe vulnera,
Quæ ſanando Reipublicæ corpori incîdit,
Senſúmque pijs ad Deum gemitibus eſt teſtatus.
Utrâque nimirum fronte conſpicuus eſſe debuit
Sapiens Janus;
Juſtus, Pius Imperator:
Qui ut *Juſtè* regeret ſubditos;
Piè ſe DEO ſubdidit regendum.
Sibi, Domuique ſuæ ab hoſtibus illata vulnera,
Conjugum, & Liberorum funera,
Conſtanter, tanquam à Deo immiſſa ſuſcipiebat.
Tam latè præerat,
Ad vilia tamen tuguria hoſpitem ſub velo triticeo Deum ſecutus eſt
Euchariſticus Cliens, & Auſtriacus.
Moderatricem armorum habuit illam, quæ *Caſtrorum* eſt *acies ordinata*,
Ad hujus Immaculatos *Pedes*

Se,

Se, ſuáque regna ſuppliciter abjecit,
Ut, quam nondum conceptam tenebrarum ſuperâſſe tempeſtates jurejurando aſſerüit,
Tanquàm Lucis Matrem hoſtilibus umbris prævalituram ominaretur,
Cujus & ipſe in agonis crepuſculo cùm ſentiret auxilium,
Auroram non ferreâ, ſed *Aureâ* illâ *horâ* ſibi oriri
Expertus
Non tam occumbere eſt viſus,
Quàm ad meridiem beatæ aſſurgere æternitatis.

LUgete terræ! fulgidus occidit
Sol FERDINANDUS, Gloria Cæſarum,
Lumenque Regnorum, & Supremus
Romulei Moderator orbis.

Lugete Alaudæ flebilis Auſtriæ!
Extincta lux eſt; cujus amabilis
Hucuſque ſplendor gratiarum
Innumeras recreavit oras:

Cujus calores Martia frigora
Septentrionis, diraque nubila
Urſæ frementis diſpulerunt,
Et gelidos domuêre ventos


Trucis Bootæ: cujus in infimos
Æquè, ac Supremos Imperij incolas
Semper beatam, proſperàmque
JUSTITIÆ, & *PIETATIS* umbram

Projecit index. Luxit. At, heû dolor!
Lucem tremendæ nunc tenebræ ambiunt,
Nec glorioſum ſæva poſthac
Fata ſinunt radiare Phœbum.

Quanquàm quid umbris turbor inanibus?
O nos beatos! fallimur. En redux
Auguſtiori cum triumpho
Exoritur redivivus orbi

Sol *FERDINANDUS* : dum ſuper aëra
Per ſplendicantes Zodiaci vias
Temone vectus pulchriore
Imperij *LEOPOLDUS* Aſtra

Fulgore ditat. Vivit! & igneas
Super quadrigas lætus ab æthere
Suo in Luidpoldo triumphat
JUSTITIÆ & *PIETATIS* Auctor.


VETVS HIC ELIDITVR ANGVIS.
Labe caret Virgo; sacrum Rex dogma tuetur:
Hũc, vouet, vt iuret mundus vterque fidem.
Philip Kilian ſc.

PHILIPPUS QUARTUS REX HISPANIARUM,

PHILIPPI TERTII FILIUS;
Si non *Alexander*,
Philippi tamen *Magni* filius.
Natus eſt anno quinto hujus ſæculi,
Eo tempore, quo DEUS-homo denatus,
Inter terrifica quoque cœli oſtenta.
Hæreditavit cum nomine à Patre manſuetudinem.
Valliſoleto Madritum translatus novus hic Sol
Tot Memnones habuit ſalutantes, quot Proceres.
Auguſtum Regni ſolium conſcendit citò,
Citiùs promeruit.
Anno ſexto ſupra decimum Rex ſalutatus,
Plura numeravit Regna, quàm annos.
Grandium, & Magnatum ſtipatus numero
Eminebat:
Et qui Major eſſe, etiam Melior omnibus enitebatur.
Cavit ne majori ſtiparetur corpus comitatu, quàm animus;
Hunc cœlum quoddam eſſe ſciebat,
Cui pro Aſtris famularetur virtutum Chorus
Ad harmoniacam ſuavitatem temperatus.
Obibat *Philippi* in hoc Cœlo ſolis vices
Perſpicax in regendo *Prudentia*.
Quæ in juvene Rege magis laudanda.
Europam, Aſiam, Africam, Americam
Sine alterno diſpendio eodem tempore illuſtravit.

Felicitatis *Sole* deſtitutis
Luna præſens fuit *Clementiâ.*
Quæ etſi omnibus ſerena affulſit,
Non tamen ſine pluvia fertili gratiarum.
Ad ſtabiliendam Monarchiam firmiſsima adhibuit præſidia
Aurum, & ferrum:
Illo effecit, ut nec premeretur inopiâ pacifica Reſpublica,
Nec ſuus bello deeſſet nervus;
Hoc ſæpè plures eodem tempore armavit exercitus
Tot hoſtibus ſuffecturos;
Utrôque communi profuit neceſsitati.
Tributariâ Indorum opulentiâ ditavit quidem areas,
Sed ſubmiſsis etiam,
Qui cœleſtibus opibus ditarent animas.
In armata ſemper Hiſpaniæ Pallade
Oleam dilexit præ Haſta,
Nullam bello ſalutem ineſſe arbitratus,
Niſi quòd Pacem pareret.
Adverſantis fortunæ molimina nec irâ dignatus eſt, nec dolore.
Ad moribundorum ſuorum lectulos
Propè omnem exuit ſenſum:
Adſtitit tam intrepidus hortator,
Quàm ſolicitus Pater.
Mors ipſa trepidabat in tanta conſtantia,
Quæ ut regale corpus tandem expugnaret;
Triennali oppugnatione inſudavit.
Ita adverſa paſſus fortia agere
Non deſtitit *PHILIPPVS,*
Præſertim
(Quo præclarè geſta coronavit)
Impetrato pro Mariano ſine labe conceptu diplomate,
Et ſolemniter per Regna ſua promulgato,
Pientiſsimus pro Virginis Matris honoribus,
REX CATHOLICVS MARIANVS.

Qualis

QUalis, miſsilium cùm genus anguium
Funeſtis maculat terga coloribus,
Et circùm nocituro
Virus difflat anhelitu,

Vis eſt ingenitâ dote ciconijs
Morſus lethiferæ frangere dipſadis,
Atque elidere fixis
Intortum caput anguibus:

Talis Phoſphoreâ ſolis origine
Virgo Jeſſeï dûm gloria purior,
Primæ & neſcia labis,
Nec rupti rea fœderis,

Humanæ Nemeſin non patitur luis,
Et turpi Furijs ore frementibus
Priſci colla draconis
Illæſo pede conterit.

Voto dogma ſacrum non violabili
Divinæ ſtatuunt Palladis exedræ.
Lis ſit nulla Lycæis,
Aut contentio pulpitis.


Turres Heſperiæ ſtant metus hoſtium,
Supplex innocuo Virginis ortui,
Arma, & Sceptra *Philippus*
Cum Prole, & Populis dicat.

Magni Chriſtiadûm oracula Præſulis
Dant votis precium. Virginei focos
Rex ſuccendit amoris,
Quà mundi patet ambitus.

 Sed

Sed nec degeneres Auſtriadûm ſinu
Flammas divus Amor condidit. O ſacro
Quantùm Virginis æſtu
Flagras Patria *Cæsarum*!

Sic nempe Heſperijs juncta Leonibus,
Stat firmus niveæ murus originis,
Quem nec caſtra Gradivi,
Nec frangit Stygis impetus.


VIRTVTIBVS
PATRI
Seu Themis et Pietas, ſeu Induſtria ſuſtinet orbem
Conſilio regere eſt Cæſaris Auſtriaci.
Philipp Kilian ſculpſit.

LEOPOLDUS SEMPER AUGUSTUS, FERDINANDI TERTII ROMANI IMPERATORIS FILIUS,

A Parente utróque Cæſare

CÆSAR.

Huc veſtros calamos

Heroûm Fama, Famæ interpres Hiſtoria,

Scribite:

Europæ LEO, SOL AUSTRIÆ,

In ſago Julius, Auguſtus in toga,

Conſilio Apollo, Mars *Induſtriâ*,

Aureorum ſæculorum Pater pace redditâ,

PATERNA Sapientiâ Salomon.

FRATRIS Amabilitate, orbis Delicium,

FERDINANDI II. Avi Pietate, Cor Germaniæ,

MATTHIÆ Juſtitiâ, Legum vindex,

RUDOLPHI II. Prudentiâ, regnorum oculus,

MAXIMILIANI II. Clementiâ, Pater Patriæ,

FERDININDI I. Religione, Eccleſiæ baſis,

RUDOLPHI I. Felicitate, Mundi gaudium,

Alberti I. Triumphis, Triumphator Maximus;

Fridericorum Conſtantiâ, & Æquanimitate, Fortunæ Dominus,

Caroli Potentiâ, Alexander,

Maximiliani Heroâ fortitudine, Hannibal,

Vivum omnium ectypon:

Uno verbo ſcribite;

LEOPOLDUS PRIMUS.

In quo omen eſt *Secundi*

Non irrito voto, & eventu Auſtriacis.

Rudolphum, *Albertum*, *Maximilianum*, *Ferdinandum*

Primos excepêre *Secundi*,

Ita ominare *Austria*,

Ita apprecare LEOPOLDO:

Qui, *Primus* cùm ſit, Poſtremus non erit.

Lux natalis affulſit *Primo*, non ſine *Feliciano*:

Ut ſciremus in LEOPOLDO PRIMO eſſe *felicitatem Secundi.*

Propitiæ ſtellæ ſunt *Primus*, & *Felicianus*;

Non Planetæ,

Non exerrabunt.

Parente genitus LEOPOLDUS *Ferdinando III.*

Ferream in tenera ætate induit Conſtantiam,

Ante annos Regni par.

Dies prima, quam Lucina dedit naſcenti,

Omen fecit,

Non defuturam LEOPOLDO *Occaſionem*

Præclara audendi pro gloria *Domûs ſuæ.*

Generoſa animi vis

Nati-

Nativitatis exordia ſui oſtenſione nobilitavit.

Prima nimirum dies leunculo ungues acuit,

Humentes jubas erigit

Jam pugnæ præluſura.

Cunæ probant Hercules,

Cyros infantiles curæ.

Ferreæ Palladi Laureata acceſsit Minerva:

Ut litem de ſe faceret LEOPOLDUS,

Fortiórne futurus ſit, an ſapientior?

Jam tunc probè intelligens

Sapientiam CONSILII *eſſe Matrem,* INDUSTRIÆ *Ducem.*

Porrò tam ſublime ingenium

Alteri ſubjici non debuit,

Quàm *FERDINANDO Parenti*

Temporum ſuorum *Salomoni,*

A quo ſimul acciperet rudimenta, & oracula.

Sed ſubtractâ *FERDINANDI* dexterâ

Suis è cardinibus emovendus putabatur Europæus Orbis.

Nulla quies erat Sarmaticis terris;

Belli jugum premebat Cimbricam Cherſoneſum.

Timebatur Hungariæ à Dacia, ſimul & Scythia.

Hîc mediam ſe poſuit

Mater Heroum Domus Auſtriaca,

Dedit LEOPOLDUM.

Quem *Auguſtum* excepit Julius, & Auguſtus.

Ipſe à ferro auſpicatus Imperium,

Exarmatam propè Poloniam novis armis induit,

Daciæ Principem docuit alienis abſtinere;
Vandalum non ſemel repreſsit,
Sibi, ſuiſque redditis Regibus Polono, ac Dano.
Hæc primaria laus erat
CÆSARIS LEOPOLDI
Primos Imperij annos
A reſtitutis Regibus numerâſſe.
Diſpulsâ à Septentrione hac tempeſtate,
Clariores vidit dies Europa,
Quibus diu frui non licuit.
Excitatus ab oriente turbo
Novarinum involuit, citeriorem populatur Pannoniam,
Graſſatur in Moraviam, viciniorem percellit Auſtriam,
Solo interrito LEOPOLDO.
Qui quam externis nuper Regnis impertijt tranquillitatem,
Non ſine fænore ab æquiſsimo Vindice Numine præſtolabatur.
Ut Cœlum in Socia arma attraheret,
Armatis precibus pugnavit.
Et emarcuêre ſubitò in Hyeme
Laureæ,
Quas Mars Thracius ſeminavit in Autumno,
Vere prorſus ſunt protritæ.
Expugnata Nitria, recepta Leva, profligato cûm Moldaviæ Principe
Exercitu,
Ad S. Gothardum hoſtis planè cæſus eſt,
Totóque campo ſparſus gramen momordit,
Victori *CÆSARI* herbam reliquit.

Jo

Jo triumpha LEOPOLDE!

Erit,

Sic Tua promittit magnanimitas, fortitudo, felicitas

Tua oculata *Conſilio Induſtria*;

Erit,

Sic orbis voto, Auſtriaca pietas, cœlitûm favor ſperare jubet;

Erit,

Cùm Byzantinâ Conſtantini in Urbe Chriſtiana trophæa ſtatues

Occidentis, & Orientis Imperator.

Sic vive, ſic triumpha, ſic perenna

LEOPOLDE AUGUSTE!

ADſunt Marmaricæ tygrides, cum tabe furorum
Boſphorus omnis adeſt,
Sacras profano acinace

Aras verſurus, rabidas paſturus & iras
Sanguine Chriſtiadûm.
Impunè ſed nemo Tua

Numina, & Auſtriacas Aquilas, LEOPOLDE, laceſsit.
Impia nulla diu
Marte arma gaudent proſpero.

I Furor! & fuſo rabiem compeſce cruore:
Sera licet ſceleris
Pœnam dabis per funera.

Jam Victor campo labaris volat Auſtrius Ales,
Cæſaris arma micant,
Cient Gradivum claſsica.

Quid furor inſanas imbellis digeris iras?
Aude, alacer lituo
Fremente dextram conſere.

Cervici jam fata inſtant, jam Marſpiter urget
Exitium; Scythicum
Tellus bibe ultrix ſanguinem.

Mergere Biſtonijs, vindex immergere ferrum
Threicijs jugulis,
Elide vitam Barbaris.

LUIDPOLDI poſthac Rhodopëia Luna paveſcat
Teutonicas Aquilas,
Pigrâquè ſub Mæotide

Cornua, quæ proprio maculavit fracta cruore
Victa lavet; pedibus
Adrepat inde Cæſaris.

Tu Byzantinis, Cæſar LEOPOLDE, coronis
Cingere, & Odryſias
Pede preme victor *Lunulas*.


INVENTA VNA PRETIOSA
Vna valet tantum, reliquæ quantum simul omnes:
Omnia cùm valeat, quid valet: Imperium
P. Kilian f.

MARGARETHA PHILIPPI IV. FILIA, AUGUSTISSIMI CÆSARIS *LEOPOLDI* AUGUSTISSIMA CONIUX,

MArgarita
In divite Hiſpanorum mari educta, educata
In Spes Coronarum,
Ac digna, quæ Germano nubat diademati,
Cujus pretium ut agnoſceret orbis,
Ut compendio loquerentur annales,
Ut paucis multa diſcerent, ac dicerent poſteri:
Cœlum aliter compellari non voluit,
Quâm MARGARITAM.
Sivè, quòd emicantes ad ipſa Lucinæ cunabula radij
Sublimiſsimam indolem,
Et Coronis natam oſtenderent;
Sivè, quòd pro ea comparanda omnia datura eſſet Auſtria:
Sivè, quòd eliquata flammas Amoris *Austriaci* paſtura,
Cleopatræâ nobilior MARGARITA.
Lucem aſpexit poſt annum ſeculi Jubileum, primo
Gaudij nuntia, Princeps Pacis,
Cùm proſcripto è Germania Marte

Aurea redirent cum Pace ſecula:
Ut crederemus hac Feciali,
Velut obortâ Iride, Noëmicum fædus Pacis reſtitui,
Et nullo jam ſanguinis cataclyſmo terras noſtras inundandas,
Nullis bellorum motibus quatiendum Imperium.
Sic cœlum ſperare jubet,
Nam *Iridi* cum *Margarita* multùm convenit.
Roſcidâ è nube ea gemmaſcit in decus:
Hæc roris antelucani è gemmulis in pretium gelaſcit,
Auroræ filia,
Riſus plorantis Olympi.
Tu, AUGUSTA
Ad primi ſolis radios
(*An* LEOPOLDI *Solis Imperij?*)
Auroræ inter Heſperides porphyrogenita
Propagaris Gemma,
Quæ *Luna* LEOPOLDI *Solis*, æmula
Suo ſtes in *habitaculo*,
Hoc eſt,
Eodem in diademate Imperij radies
Nullo lucis diſpendio, ſed augmento
Eous, idem & Auſtrius,
Orientis pariter, & Occidentis
Unio.
Iris, eadem è rorulentâ Erythræ, gemmei maris,
Nube aſcendiſti, cœli cingulum,
Abſiſte fabula!
Inde quinorum Auſtriæ, inde totidem Heſperiæ,
Quanta decas!

Auguſtiſsima, & Sereniſsima Nomina
Cæſarum, Regum, Archiducum, hactenus relata,
Et lineæ, tot *Unionum*, unio;
Signifer Zodiacus novus,
Tricolor cœli balteus,
Quando *puniceum* Regum avita proſapia,
Flaveſcentem cumulatiſsimæ opes,
Cæruleum, animi cœleſtis integritas,
Iridis fucum ſine fuco ſibi vendicat *Margarita*.
Siquidem
Hæc Oceani; illa cœli eſt ſoboles;
Illa conchylijs, hæc toto orbe ſpectatur:
Illa immenſi aëris explicatur tractibus,
Hæc unius conchæ anguſtijs definitur.
Hoc *Iridi* cōvenit cum *Margarita*,
Si Plinio credimus,
Quòd Major eſt Margaritis cum cœlo, quàm cum Aquis ſocietas:
Degunt in æquore,
Sed originem trahunt ab æthere:
Locum in mari ſortiuntur,
Indolem è cœlo bibunt.
Nunquàm minùs in aquis, quàm cùm fluctibus obvolvuntur.
Et *Iris*
Ex nube aquea, pluviáque concreſcit;
Nihil tamen minùs, quàm pluviam parturit
Nuncia ſerenitatis.
Utraque Solis filia, & partus ætheris.
Iris etiam quâ parte in terram porrigitur

O Gem-

Gemmas non raró pluiſſe fertur;
In Tuæ, AUGUSTA MARGARITA,
Documentum munificentiæ;
In qua naturam *Iridis* ſuſpicimus
Vel ſomniatam olim, vel optatam à Tellure;
Quando adeò copioſo in egenos imbre pluiſſe diceris,
Ut liberalitatem tuam experirentur omnes,
Et quot gratias, tot pretioſas ſuſpicerent profuſas
A Margarita Margaritas.
Ita quæ in *Tuorum* corda jam affectu tranſieras,
Etiam opum erogatione in eorum *Te* ſubſidium effunderes:
Neque enim aliud cum Sole tam commune habent Principes,
Quàm omnium neceſsitatibus oriri;
Neq; cum Deo tam affine aliud, quàm bene mereri de ſubditis.
Digna, quæ Imperatorio coruſces in Oſtro
Stipata nativis, hoc eſt, Auſtriacis Paranymphis
Liberalitate, & Clementiâ.
Quæ veluti tot Argi
In Tuorum commoda vigilarûnt,
Oculati omnino teſtes
Laudatiſsimæ, quam animo foves, Munificentiæ.
Quam omnes boni in omnes ætates
Deprædicabunt;
Et Cæſareum hunc *Hymenæum*
Fauſtum Imperio, *Fæcundum* Auſtriæ,
Orbi univerſo *Fortunatum*
Nobiſcum decantabunt:

Sic

SIc te Diva Tagi potens
Immortale decus, fortis Iberiæ
Sanguis, Margari, Regius
Fulvis Chryſolithus ſcribit in ignibus;
Quæ ſacri diadematis
Auguſtum radias vincta caput die,
Et natalibus infulis,
Feſtiviſque beas plauſibus Auſtriam.
Sunt vota: Auſtriacis nova
Ut ſemper cumules gaudia plauſibus:
Unam luſimus hactenus
Auguſti decadem nominis; inclytas
Ut centum, numerent dies
Venturi, decades, ſanguine Principes,
Magnæque Auſtriacæ Domûs
Æternùm ſeries, vivat, & imperet.
Hoc firment adamantino
Terris propitij fœdere cælites;
Muſæ ſic tenero vovent
Græcenſes animo; quando ſacro toro

LeopoLDo aVgVsto
Margaretha eX hIspano-regIbVs
faVste fortVnateqVe IVngItVr
VIennæ aVstrIæ.

Special Folio
91-B
9467

